

*Pius PP. VII.*

Exponi nuper fecerunt Nobis dilecti filii Dignitates, Canonici et Mansionarii Cathedralis ecclesiae Nicoterensis, se ex eo, quod in eorum capitulo exstitit tum cura animarum, quae unica totam istam civitatem amplectitur, tum quaedam communia, sic nuncupata, ob quam Capitulares omnes emolumentis et distributionibus chori participant, adeo nimis et frequenter anniversariis, funeralibus missisque cantatis partim fixis partim adventitiis urgeri ac premi, ut hyemali praesertim tempore, etsi praestitutum initium chori antevertant, totum mane tamen usque ad meridiem in ecclesiae functionibus indesinenter impendant. Huc porro accedere chori ecclesiaeque structuram, quae cunctis pondus molestiae, nonnullis vero discrimen valetudinis auget: chorus namque in propatulo est, et cathedralis ecclesia a frigoris vi ventorumque incursu parum munita. Hinc, ut ipsi aliquo in tanto labore nanciscantur levamen, et ut simul populus, qui poenitentiae et eucharistiae sacramenta desideret, illorum inter Capitulares ministros expeditiores in ecclesia inveniat, *matutinum et laudes officii divini diei sequentis se pridie hora debita in choro recitare posse*, incipiendo a primo Octobris usque ad ultimum Martii, summopere cupere enixisque humiliter precibus a Nobis ex-  
postulare.

Nos igitur specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus praenarratis eisdem exponentibus licentiam et facultatem, cujus vigore ipsi ac successores ipsorum a prima die mensis Octobris usque ad postremam mensis Martii perpetuis futuris temporibus post vespervas et completorium diei currentis,

hora per rubricam statuta, recitationem cantumque matutini cum laudibus dumtaxat officii divini subsequentis diei more solito in choro incipere ac absolvere libere ac licite possint idque ipsis ac successoribus suis sit valitum in omnibus et per omnia, perinde ac si hujusmodi matutinum et laudis postridie mane et hora consueta eodem in choro recitassent atque cantassent auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et prudentia impertiaris.

Datum Romae die 26. Aug. 1803.  
(Bull. r. Contin. t. XII. p. 54.)

*Pius PP. VII.*

V. Fr. Ep. Pampilonensi.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Prior, Dignitates et Canonici regulares ordinis sancti Augustini capitulum istius Cathedralis ecclesiae Pampilonensis componentes, qui ab ordinaria jurisdictione, prout asserunt, exempti, huic apostolicae Sedi immediate reperiuntur subjecti, quod cum vigore capitularium constitutionum seu legis foundationis aut alio legitimo titulo officium matutinum canonicum toto anni decursu cum cantu celebrari debeat in dicta Cathedrali ecclesia post mediam noctem videlicet, vernali et aestivo tempore hora tertia cum dimidio, autumnali vero et hyemali hora quarta cum dimidio, exceptis sabbatis, in quibus aliquantulum protrahitur ob celebrationem missae beatae Mariae virginis, Octavis sanctissimi Corporis Christi et Assumptionis beatae Mariae virginis, cui dicata est ecclesia, triduo majoris hebdomadae et Commemoratione omnium fidelium defunctorum, in quibus solemnitatibus vespere diei anterioris persolvitur; cumque praedicti exponentes degant seorsum cum suis familiis in privatis aedibus canonicalibus in confinio ecclesiae praedictae sitis, quod claustrum externum

dicitur, ubi etiam domus aliorum civium saecularium existunt, et dein noctu hyemali praecipue tempore inter frequentes pluvias et nives ad aliud claustrum continens cellas dormitorii, quae perfrigidae sunt, se conferunt et tandem ad ecclesiam ipsam eidem dormitorio haerentem, quae ob positionem et vastitatem frigidissima est, ad matutinum persolvendum descendunt, et non sine gravissimo valetudinis detrimento etiam aestivo tempore id exequi potest, et plerumque accidit ob memoratas causas et exiguum canonicorum numerum, inter quos multi emeriti, alii aetate profecti et adversa valetudine laborantes, ut ad summum medietas aut tertia pars communitatis, et passim duo, tres, quatuor tantum Canonici ad persolvendum officium matutinum conveniant, nec supplere possunt sex capellani cantores, quia eorum numerus impleri nequit ob deficientiam clericorum et tenuitatem praebendarum. Durante in regnis Hispaniarum nuperima hostili invasione Capitulum praedictum, uti asserunt, necessarium duxit ob notissimas perturbationes, officium praedictum transferre ita, ut a die sancti Michaelis archangeli usque ad finem octavae resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi hora quarta post meridiem, reliquo vero anni tempore hora sexta post mediam noctem psalleretur, quae translatio observatur adhuc. Licet autem occupationis hostilis causae cessaverint, non sine magno tamen exponentium valetudinis incommodo hujusmodi horarum distributio in pristinum statum juxta legem foundationis restitui potest ac proinde a Nobis expostulant, ut in posterum perpetuis futuris temporibus praefatum officium matutinum septem mensibus: Octobris, Novembris, Decembris, Januarii, Februarii, Martii atque Aprilis hora quarta cum dimidio post meri-

diem et aliis quinque mensibus, videlicet: Maii, Junii, Julii, Augusti et Septembris hora sexta post mediam noctem licite celebrare valeant, servato antiquo more in octavis et festis initio expressis, asserentes petitam horarum mutationem Deo majorem gloriam, populo et ipsis utilitatem et commodum allaturam esse,

Nos igitur praedictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus praenarratis, et si in Domino expedire censueris, super quo conscientiam tuam oneramus, praedictis exponentibus ac illorum successoribus in perpetuum, ut ipsi in posterum officium matutinum tantum juxta distributionem horarum superius expressam atque petitam, servata in reliquis statutorum vel constitutionum capitularium cathedralis praedictae forma et dispositione ac exceptis diebus supra notatis, in quibus servetur antiqua consuetudo, celebrare libere et licite possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica concedas atque indulgeas ac cum eis desuper de specialis dono gratiae pro tuo arbitrio et conscientia gratis dispenses.

Datum Romae die 25. Junii 1819.  
(Bull. r. Contin. t. XV. p. 223.)

*Ad dubium:* In die Nativit. D. et Pasch. Resurrectionis immediate post peractum officium matutinum et ante prandium Canonicis licet necne recitare Vespervas et Completorium ratione lautioris prandii protrahendi illis in diebus?  
S. C. resp.: Negative, et abusum, si adsit, penitus eliminandum.

Die 7. Sept. 1861.

## 42) Regularium.

Vd.: *Offic. particulare; Regulares (Off.); Breviarium; Calendar. Dioecesan.; Moniales (Brev.).*

extensum fuit. Qui autem hoc gaudent privilegio, ita debent eo uti, ut nonnisi tot transferant Officia rit. dupl. in dies rit. semidupl., quot prope anni terminum deficient dies vel feriales aut simplices pro eorundem repositione. Consulendum etiam est, ut, si fieri potest, in singulis mensibus aliqua saltem dies supersit ritus semid., ut praesertim in altaribus privilegiatis celebrari possint Missae de Requiem. Id declaratum video a S. R. C. sequenti Decreto diei 12. Novbr. 1814, quod, licet peculiare sit pro quibusdam Monialibus Ordinis S. Benedicti, regulam praebere potest pro similibus concessionibus.

#### Pisaren.

In Calendario, quo utuntur Moniales Ordinis S. Benedicti in Asceterio Civitatis Pisauri, tot occurrunt Festa ritus dupl., ut saepenumero, deficientibus diebus ritus simpl. vel ferialis ac propterea liberis pro illorum repositione, quae juxta rubricas transferenda sunt, plura necessario reduci debeant ad ritum simplicem, qui dicitur per accidens. Ut autem Abbatissa et Moniales huic incommodo consulerent, humillime petierunt a SSmo D. N. Pio VII. P. M. facultatem ea reponendi in dies ritus semid., prout indultum novissime fuit Capitulo et Canonicis Ecclesiae Cathedr. Pisauri; remissis autem a S. S. hujusmodi precibus ad S. R. C., haec benigne concessit iisdem Monialibus, ut Festa dupl., quae juxta ipsarum Calendarium occurrunt in Dominicis privilegiatis vel Octavis, Feriis et Vigiliis item privilegiatis vel aliis diebus solemnioris ritus Festo impeditis, si desint prope anni finem dies simplices vel feriales, in quos transferri possint, tunc transferantur in dies Festorum semidupl., ita tamen, ut de Sancto, qui locum

cedit, fiat commemoratio in Missa, Laudibus et utrisque Vesperis cum 9. Lectione historica; declaravit insuper, tot dumtaxat dupl. frui posse privilegio repositionis in dies ritus semidupl., quot prope anni terminum dies feriales aut ritus simplicis, translationem vero ita faciendam esse in proximiores dies, ut in singulis mensibus aliqua dies ritus semid. supersit pro celebratione Missarum de Requiem.

*Ad dubium:* Occurrente in Solemnitate Ascensionis Domini aliquo Officio ritus dupl. vel semidupl., quod ad anni exitum reponi nequeat, an de hoc Officio praeter commemorationem in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa apponi etiam debeat 9. Lectio historica ex duabus vel tribus una?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Affirmative juxta alias decreta.“

Atque ita servari mandavit. n. 5084 ad 2 die 17. Febr. 1847.

*Ad dubium:* An ad ritum simplicem cum commemoratione in utrisque Vesperis, Laudibus ac Missa et cum 9. Lectione historica, quoties ex rubricis locum habere potest, in diebus propriis redigenda omnino sint dupl. vel semidupl. Officia, quae ad anni exitum reponi nequeunt?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Affirmative, ut ad proximum.“

Atque ita servari mandavit. n. 5084 ad 3 die 17. Febr. 1847.

*Ad dubium:* 1. An Officia etiam duplicia, quae incidunt in Dominicis, Feriisque privilegiatis, quaeque ad anni terminum locum habere nequeunt, quia dies liberi pro eorum recitatione non

suppetunt, reponi possint in diebus ritus semid., adeo ut de Semiduplicibus redactis ad modum Simplicis fiat commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa cum 9. Lectione historica? Et quatenus negative;

2. An id saltem permitti possit pro iis Eccl., quarum dedicationis Anniversarium incidens in Dominica Officium duplex etiam 2. cl. excludit in Anniversario ipso et in die octava, ne Parochi aut Rectores ob inevitabiles Calendarii Dioecesiani immutationes praegraventur onere variationes ipsas non semper Rubricis conformes compilandi?

Et S. eadem C. rescribendum censuit

Ad 1.: „Negative, juxta alias decreta, et de Officiis, quae supersunt, faciendam esse commemorationem in die propria, etiam si sint ritus duplicis.“

Ad 2.: „Negative, sed ad Calendarii Directorem spectare particulares has additiones pro singulis Ecclesiis.“

Atque ita rescripsit, declaravit servandumque mandavit. n. 5135 ad 5 et 6 die 22. Julii 1848.

#### Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium.

Quum R. P. Fr. Xaverius Tufano Sacerdos Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium S. R. C. humillimis precibus rogavit declarationem: an in Feriis II. et III. Paschae et Pentecostes, in die Ascensionis Domini, SSmi Corporis Christi ac in die octava liceat commemorationem instituere in utrisque Vesperis ac Laudibus cum Lectione historica illorum Sanctorum, quorum Officia, quum ad anni terminum locum habere nequeant, in diebus propriis redigenda sunt ad ritum simplicem?

S. C. audita relatione ab infrascripto Secretario facta rescribendum edixit: *Detur Decretum in Hispalen. diei 26. Novembris 1735* \*) ad Dub. V. et in una Ordinis Capuccinorum diei 8. Martii 1738, quibus cautum est, Officia, quae intra anni terminum transferri nequeunt, redigenda esse ad ritum simplicem in die propria cum 9. Lectione historica et commemoratione in utrisque Vesperis et Laudibus. Quae dispositio locum habere debet in omnibus Festis et duplicibus tum 1. tum 2. Cl., *excepto ultimo Triduo Majoris Hebdomadae, Festis Paschae et Pentecostes cum duabus sequentibus Feriis tantum*, sicuti decretum fuit in una Panormitana diei 12. Apr. 1823. N. 4810 diei 11. Martii 1837. Vd.: *infra decr. de die 18. Decbr. 1779.*

Commemoratio SS. 9 Il., qui in fine anni supersunt nec sunt transferendi ad annum sequentem, ut alias decretum est, aut sint ritus semidupl. aut dupl. etiam majoris, diebus eorum propriis (etiamsi occurrant in festis 1. et 2. cl.) facienda est instar festi octavae et dominicae tam in concurrentia quam in concurrentia, habita ratione ad ritum, quo descripti sunt in propriis calendariis, *exceptis tamen ultimo triduo majoris hebdom., festis Paschae et Pentec. cum duobus sequentibus diebus, in quibus nulla SSrum commemor. omnino tolerari debet.* Quoad ordinem vero, si die eorum propria aliae commemorationes occurrant, servetur, ut prius fiat commemoratio, de quo, secluso impedimento, die illa celebraretur officium aut vesperae integrae, aut capitulum aut dimidia.

Die 18. Decbr. 1779. *In una Ord. M. s. Franc. de Obs. Prov. Concept. B. V. M. in Portug.*

\*) Vd. supra n. 4039.

## DECRETUM GENERALE.

Cum nonnullis in Ecclesiis aliquando accidat, ut quaedam festa 2. cl. celebrari non possint in die propria, sed transferri debeant ad aliam diem non impeditam juxta rubricas et intra annum non supersit ullus dies vacuus, in quo dicta festa reponi possint?

S. C. resp.: Eadem festa transferenda esse in proximiorum diem etiam impeditum festo semidupl. aut dupl., quod illo anno redigatur ad ritum simplicem, firmis remanentibus aliis declarationibus ab ipsa S. C. emanatis de festis inferioris ritus in simili casu non transferendis sed ad ritum simplicem redigendis.

N. 4492 die 13. Martii 1804.

In Calendario Canon. regul. s. Crucis Conimbr. nullus in mense Decembri extat dies, qui officio 9 ll. non sit impeditus. Quomodo ergo praefata Congregatio se gerere debeat, quando s. Andr. vel s. Thomae app. festum cum dominica privil. occurrit?

S. C. resp.: Decr. gen. 13. Martii 1804 servetur.

Die 31. Maii 1817 ad 3. In Conimbr. vd.: S. Thomas.

## Pius PP. VII.

Cum, sicut venerabilis frater Petrus Antonius Episcopus Cordubensis Nobis nuper exponi fecit, ipse nulla umquam officia ritus duplicis in sua dioecesi ob aliorum festorum concurrentiam omitti posse plurimum desideret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus hujusmodi inclinati, ut in universa dioecesi Cordubensi, quando circa anni finem desint

dies feriales aut festi simplicis pro reponendis officiis ritus dupl. translatis, ea officia translata reponi valeant in diebus impeditis officio ritus semiduplicis, redactis pro eo anno officiis ritus semiduplicis ad gradum simplicis, cum commemoratione in missa, laudibus et utrisque vespere ac nona lectione historica de sancto, qui locum cedet, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Datum Romae die 6. Junii 1806.

(Bull. r. Contin. t. XIII. p. 29.)

## 51) Votivum.

Cf.: Festum votiv.; Festum Nom. B. V. M. (ut fest. vot.); SSimum Sacramentum (Off. fer. V.); Officium B. V. M. in Sabb.; Officium (ex Indulto conc.).

## DECRETUM GENERALE.

Cum non obstante generali Decreto, quo sub die 7. Julii 1753 a S. R. C. mandatum fuit: „Quod in posterum preces recitandi Officia votiva semel in hebdomada vel semel in mense amplius non recipiantur“, frequentes petitiones fiant pro facultate recitandi hujusmodi Officia votiva, nec petentes tam facile acquiescant, rati, quod praefata generalis dispositio ob diuturnum temporis lapsum in desuetudinem abierit,

Ideo Emi et Rmi Card. S. R. C. praepositi, ad infrascripti Secretarii relationem sub hodierna die memoratum generale decretum ad omnimodam observantiam revocari ejusdemque exemplar, ut cunctis pateat, ad Secretariae parietes affixum perpetuo retineri jussurunt. N. 4517 die 11. Maii 1816; n. 4234 die 7. Julii 1753.

Officium semel in hebdom. concessum recitari debet in Sabb., quando fieri deberet de S. Maria in Sabb. S. R. C. 7. Februarii 1699. In Tarvisina.

## OLEA SANCTA.

## 1) Asservatio domi et delatio ad Ecclesiam.

Vd.: *Oleum Infirmorum* (asservatio).

Vasa olei sancti servantur in loco decenti tam in cornu Epistolae quam in cornu Evangelii. n. 2218 die 16. Junii 1663.

Multi Pastores accepta s. Olea apud se deponunt in domibus suis usque in sequentem diem dominicam; et tunc cum sol. processione cum cruce et candelis ardentibus sub Baldachino a lato Clero in habitu portantur ad Ecclesiam exponunturque in aliquo altari cum hymnis et eadem solemnitate portantur ad fontem baptismalem eique infunduntur. Quaeritur:

1. An Pastores recte retineant s. Olea in domibus suis usque in Dominicam ad receptionem eorundem subsequentem?

2. An s. Olea cum tali solemnitate introduci possint in Ecclesiam?

S. C. resp.: ad 1. Negative; ad 2. Tollendam esse inductam consuetudinem et servandas Ritualis rubricas. n. 4623 V. 1. 2. die 16. Decbr. 1826.

## NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Ad primum hoc dubium quaesiti V. recolenda veniunt, quae supra diximus in adnotat. ad dubium unicum quaesiti III. Unum dumtaxat addere juvat. Cum sacra Olea juxta Rubricarum dispositionem, traditas in Synodis regulas et doctrinam de re liturgica Scriptorum nequeant asservari nisi in Ecclesia, ibique in custodiis respective adsignatis, semper tamen decenti in loco honesto ac tuto, cujus fenestrella clavet clausa, ne aperiri queat, nisi a Rectore vel Parocho, ad quem pertinet, ne excepto quidem oleo infirmorum, licet ad Sacramentum extremae unctionis ministrandum urgeat quandoque ex inopinato improvise casu verae necessitatis (nisi casus praevisus sit,

ut supra notatum est); quis non videt locum eo magis sibi vindicare Rubricam quoad Sanctum Chrisma et Oleum Cathecumenorum, pro quorum usu inopinatus dari nequit urgens casus? Clare igitur patet, fas non esse Parocho vel Rectori sacra Olea sibi tradita retinere domi usque ad Dominicam subsequentem, sed omnino teneri eadem deponere in decenti tutoque loco intus Ecclesiam ad id destinato.

Quod vero attinet ad alterum hoc dubium, quod respicit solemnitatem deferendi sacra Olea ad Ecclesiam, pravam hanc consuetudinem inductam fuisse non ex alia nisi ex crassa ac supina ignorantia, jure existimo. Debeturne Sacramentalibus ille extrinsecus honor, qui uni convenit SSimo Eucharistiae Sacramento? Nonne Rubrica modum praescribit servandum in deferendis sacris Oleis? Jubet namque deferri debere per ecclesiasticum Ministrum, ut decenter et reverenter tractentur: *Parochus, quantum fieri potest, curet, ne per laicos sed per se vel per aliquem Sacerdotem vel saltem Ecclesiae Ministrum haec olea deferantur.* Ubi notandum est, quod non absolute praefata Rubrica excludit Laicos ab eorundem delatione, sed monet tantummodo, ne Parochus laico hujusmodi delationem demandet, quia quandoque contingere potest, praesertim in parvis Oppidis ac Paroeciis ruralibus pro administrando Sacramento extremae unctionis, ut alius non sit, nisi laicus, qui bursam cum oleo infirmorum ad aedes infirmi deferat, impedito Parocho, necessitate urgente, spiritualia Ecclesiae subsidia in agone posito infirmo ministrante. Quum igitur Parochus per se nequeat aliumque non habeat, nisi laicum ministrum Clerici vices fungentem, huic committere cogitur, ut hoc praestet officium. Id tamen, quantum fieri potest, vitandum est. Praeterea tam verum est,

## 43) Ritus.

Vd.: *Ritus* (mutatio).

## 44) Romanum.

Capitulum Eccles. Metrop. Acherunt., Officium s. Canianis P. M. jam per sexcentos celebrans, petit, an hoc Officium sine scrupulo adhuc recitare posse?

S. C. resp.: Si narrata vera sunt, libere recitare Officium possunt, si ad Congregationem transmissum cognoscetur nihil absurdi in illud irrepisse, quod facile dubitari potest tanto temporis cursu. n. 122 ad 3 die 8. Maii 1597.

*Ad dubium*: An non obstante prohibitionem Episcopi possit tuta conscientia perseverari in recitando Brev. romano sicque oneri divini Officii satisfieri?

S. C. resp.: Sine speciali Indulto non posse; nec recitans Officia pro aliquibus locis in calce ipsius Brev. romani apposita adimplet idem onus. Die 22. Maii 1841.

Vd.: *Clerus Eccles. Cathed.*; *Breviarium*; *Ritus*; *Sancti*; *Reliquia*; *Libri ecclesiastici*; *Missale* (approb.); *Officium* (oblig. ad quod?).

## Pius PP. V.

Nos, cum romanum hoc Breviarium divina disponente clementia vidimus absolutum, abolemus quaecunque alia Breviaria vel antiquiora vel quovis privilegio munita vel ab Episcopis in suis dioeces. promulgata, *illis tamen exceptis, quae ab ipsa prima institutione a Sede apost. approbata vel consuetudine vel quae ipsa institutio ducentos annos antecedit aliis certis Breviariis usu fuisse constiterit, quibus ut inveteratum illud jus dicendi et psallendi suum officium non adimimus, sic eisdem, si forte hoc nostrum,*

*quod modo promulgatum est, magis placet, dummodo Episcopus et universum Capitulum in eo consentiant, ut id in choro dicere et psallere possint, permittimus.*

Omnes vere et quascunque ap. et alias permissiones ac consuetudines etiam juramento et confirmatione ap. munitas necnon privilegia precandi et psallendi more et ritu Breviariorum sic suppressorum, praedictis ecclesiis, monasteriis, conventibus . . . necnon S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiep., Ep., Abb. et aliis Prae-latis et singulis personis eccles. saec. et regul. utriusque sexus quacunque causa concessa et approbata et roborata omnino revocamus volumusque vim et effectum de caetero non habere.

Hoc nostrum Breviarium ac precandi psallendique formulam in omnibus universi Orbis Ecclesiis, monasteriis et locis exemptis, in quibus officium ex more et ritu dictae rom. Ecclesiae dici debet aut consuevit, *salva praedicta institutione vel consuetudine ducentos annos superante*, praecipimus observari. Statuentes Breviarium ipsum nullo unquam tempore vel in totum vel ex parte mutandum vel ei aliquid addendum vel omnino detrahendum esse . . . *neminem ex iis, quibus dicendi psallendique munus necessario impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse statuimus ac declaramus.*

Jubemus igitur omnes et singulos Patriarchas, Archiep., Ep., Abbat. et caeteros Praelatos . . . Breviarium ipsum in suis Ecclesiis quisque, monasteriis conventualibus . . . introducant. Sed ut Breviarium ipsum ubique inviolatum et incorruptum habeatur, prohibemus, ne alibi usquam in toto orbe sine nostra vel speciali ad id Commissarii ap. deputandi expressa licentia imprimatur. Qui illud secus impresserint, proposerint vel rece-

perint, *excommunicationis sententia eo ipso innodamus.*

Datum Romae ap. s. Petrum diei 15. Junii 1568.

(Bull. r. t. II. p. 278. ed. Luxenb.)

## 45) Sacerdotis exercitantis.

Il P. Domenico di San Giuseppe Commissario Generale de' Padri Carmelitani Scalzi dimorante nel Convento di Brussey in Francia prostrato ai piedi di Vostra Santità umilmente espone, che in detto Convento alcuni Sacerdoti secolari sogliono fare gli Esercizi Spirituali in tutto uniformandosi all' istituto dell' Ordine, non che alla recita in Coro del Divino Officio. Affinchè i sopradetti Sacerdoti così facendo non abbiano da recitare due Officii, supplica Vostra Santità affinchè si degni dispensarli dal proprio Officio, recitando quello dell' Ordine. Che ec.

„SSmus D. N. Pius IX. P. M., referente subscripto S. R. C. Secretario, de speciali gratia benigne annuit juxta preces.“ Contrariis non obstantibus quibusque.

N. 5093. Die 7. Maii 1847.

## 46) Sacerdotum concurrentium.

Beatissimo Padre: Il Rettore del quasi Santuario di Santa Maria della Civita presso la terra d'Itri in Diocesi di Gaeta, Regno di Napoli, divotamente rapresenta, che ivi concorrono moltissimi fedeli, fra quali molti Sacerdoti di altre diverse Diocesi, quali per la diversità dei loro Ordinarii non possono in Coro uniformarsi nella recita del Divino Officio; e siccome sonovi dei Sacerdoti, che vi si trattengono anche qualche giorno, il desiderio si è quello, come costumasi nelle Case delle Missioni, e qualche altro sito ancora, che dimorando

qualche giorno i Sacerdoti in S. Maria di Civita, possano dire l' Officio che corre in detta Chiesa e Diocesi di Gaeta, senza che tenuti siano a recitare anche l' Officio Divino della propria Diocesi de' Sacerdoti che concorrono a venerare detta Sacra Immagine. Che della gracia ec.

Sacrorum Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, in Ordinario Coetu hodierna die ad Vaticanum habito, respondendum censuit: „Non expedire.“ Die 12. Novbr. 1831. N. 4675.

## 47) De SS. Sacramento.

Vd.: *SS. Sacramentum*.

## 48) SS. Sanguinis J. Chr.

Vd.: *S. Spinea Coron. D. N.* (decr. n. 4928); *Officium Mysterior. et Instrum. etc.*

## 49) Ad vel extra Tempus paschale.

Vd.: *Missa* (temp. pasch., decr. n. 4930).

## 50) Translatio

## 1) Recitationis in choro.

Vd.: *Ordinatio* (altare, decr. *Giennen.* n. 3. 8. 10.).

## 2) In sequentem annum debetne fieri?

Vd.: *Transl. festi dupl.* (decr. n. 5159); *Oratio ad libit.* (Omitt.); *Transl. festi cum octava* (decr. n. 4492); *S. Sylvester*; *S. Thomas Cantuar.*; *Semidupl.* (commem.); *Fest. ss. Reliquiarum* (transl., decr. n. 4859); *Fest. ss. Nom. Jesu* (transl., decr. n. 4581 nota t. 1. pag. 572).

*Ad dubium*: An Officia, quae de mense Decbr. aliquando supersunt, fieri possint prima die non impedita sequentis anni?

S. C. resp.: *Transferri possunt.* N. 2928 ad 1 die 7. Septbr. 1680; n. 3497 ad 1 die 27. Sept. 1698.

In posterioribus decretis, quibus cautum est, ut Sancti, qui in fine anni supersunt, non sint ad sequentem annum transferendi, abrogatum fuisse decretum diei 7. Sept. (Decb.) 1680, ideoque comprehendi sub illis etiam Sanctos, qui in mense Decembri occurrentes translati supersunt, affirmare non dubitaret. n. 4150 ad 4 die 7. Decbr. 1743.

*Ad dubium:* Utrum Officia, quae alicubi supersunt per totum annum recitanda, sint omittenda vel in sequentem annum transferenda?

S. C. resp.: „Serventur decreta.“ n. 3424 die 27. Apr. 1697.

*Ad dubium:* Quando Dominica infra Octavam Nativitatis Domini occurrat die 29. Decb., tunc in tota Hispania ex concessione S. M. Gregorii Pap. XV. initio Breviarii inserta Festum S. Thomae Cantuariensis ritus semiduplicis transfertur in diem 5. Jan. sequentis anni; et cum post hujus privilegii concessionem pluries declaratum sit ab hac S. C., Festa omnia, quae in fine anni supersunt, aut sint ritus duplicis aut semiduplicis, tamquam in propriis diebus esse consideranda nulloque modo in sequentem annum transferenda. Quaeritur: An hujusmodi privilegium (usque nunc in usu apud Ecclesiam Cordubensem) revocatum censi debeat, vel potius firmum et validum, posterioribus non obstantibus Decretis et declarationibus generalibus?

S. eadem C. rescripsit, ut infra, videlicet: „Nihil innovandum et servandum privilegium indultum a Gregorio XV. in Constitutione: Pastoralis officii cura.“

N. 4501 ad 4 die 20. Sept. 1806; n. 4503 ad 2 die 20. Sept. 1806.

Sanctos, qui in fine anni supersunt, non esse ad annum sequentem transferendas, sed, quoties toto anni de-

curso de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis considerandos esse tamquam simplices, faciendo illorum commemorationem, ut fit in semid. cum 9 l. ad Matut., composita ex omnibus eorum lectionibus propriis 2. noct. ad modum unius. N. 4039 ad 5 die 26. Novb. 1735; n. 4070 die 8. Martii 1838; n. 4212 die 19. Sept. 1750; vd. infra decr. n. 4810 et de die 18. Decbr. 1779.

*Ad dubium:* An praedicta resolutio sit intelligenda de Sanctis tantum, qui aliquando supersunt, et non de illis, qui semper supersunt? An vero intelligenda sit tantum de semid. et non de dupl. an vero de utrisque?

S. C. resp.: Decreta, quae statuunt non esse transferendos ad annum seq. Sanctos, qui in fine supererunt, intelligenda sunt non solum de semid., sed etiam de dupl., sive ab occidentali sive a perpetuo occurrenti impedimento eorum celebratio fuerit impedita. n. 4122 ad 3 die 16. Sept. 1741.

Decretum 27. Novbr. 1735 esse intelligendum de anno vulgari et communi, qui a Calendis incipit Januarii. n. 4256 die 30. Aug. 1755.

Ex parte Cleri Ecclesiae Toletanae quaesitum fuit: an stantibus decretis de non addendo, mutando vel retrahendo in Brev. rom., necnon decretis officiorum noviter apponendorum in corpore, in quibus praecipitur his verbis: *debeant, teneantur, agant;* in officiis vero provincialibus concluditur sic: *Valeant, possint, recitare posse censuit, concessit, annuit etc.,* si autem in aliqua Ecclesia praesertim Regul. sint tot festa, quod non possint nonnulla semidupl. translata adhuc recurrente anno reponi semel in bienio; in hoc ergo casu quaesitum fuit: *An licebit omittere, quae sunt de*

*Breviario, ut fiat de particularibus dicto modo concessis?*

S. C. resp.: *Detur decretum sub 26. Nov. 1735.* Ita sub die 15. Sept. 1736.

Cum sit decretum, quod, occurrente Festo duplici majori die octava alicujus Festi, recitandum sit de die octava, translato Festo duplici majori in primam diem non impeditam; quid erit agendum, quando usque ad anni finem talis dies desideretur?

Et S. eadem C. respondendum censuit, ut infra, videlicet: „*Dentur Decreta in Hispalen. 26. Novbr. 1735, et Ordinis Minorum Capuccinorum 8. Martii 1738, videlicet: Sanctos, qui in fine anni supersunt, quoties totius anni decursu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis considerandos esse tamquam simplices, faciendo illorum Commemorationem, ut fit in semiduplicibus, cum nona Lectione ad Matutinum, composita ex omnibus eorum Lectionibus propriis secundi Nocturni ad modum unius.*“

N. 4537 ad 4 die 31. Maii 1817.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Huic Dubio provisum est Decretis latis in *Hispalen. 26. Nov. 1735 ad dub. 5, et in una Ordinis Minorum Capuccinorum die 8. Martii 1738.* Siquidem Festa dupl., quae reponi nequeunt, redigenda sunt ad ritum simplicem, vel etiam, juxta diversas occurrentias, in aliquo casu omittenda. Regula generalis est, ut de iis fiat tamquam de simplici, deficientibus diebus pro repositione, etiamsi occurrant cum Festis solemnissimis 1. cl., ut illa sunt *Ascensionis et SS. Corporis Christi*, veluti S. R. C. declaravit in una *Urbis seu Ordinis Minor. Observ. S. Francisci ad dub. 3. et in altera Ordinis Minor. S. Fran-*

*cisci Provinciae Conceptionis Regno Portugalliae ad dub. 1. sub diebus 28. Martii 1775 et 22. Aprilis 1780.* Quod si incidant in solemnitates Paschatis et Pentecostes aut in alterum ex duobus sequentibus diebus, S. R. C. primum ampliavit iudicium, ut rem maturius examinaret, ut ex supra relato *Decreto anni 1775*, deinde vero, quaestione iterum proposita ad dubium 1 et 2, videlicet: „An in casu, quo in Dominica Paschae et Pentecostes occurrant Officia semiduplicia et duplicia minora, pro quorum translatione locus non supersit in toto anni Ecclesiastici decursu, de ipsis fieri debeat commemoratio in eadem Dominica Paschae et Pentecostes, in Vesp. et Laud. et Missis, an vero debeant prorsus omitti in casu etc., an de iisdem semidupl. et dupl. possit fieri commemoratio in Feria II. et III. Paschae et Pentecostes in utrisque Vesp., Laud. et Missa?“ in altera Congregatione sub die 15. Junii 1776 respondit: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam;* et idipsum confirmavit in laudato *Decreto anni 1780.* Sed cum ex multiplici Festorum Sanctorum additione in quibusdam Dioecibus aut Ecclesiis particularibus aut Ordinibus Regularibus tot occurrant Festa ritus dupl., ut pro eis reponendis, dum transferri debent, desint dies feriales aut ritus simplicis, a S. R. C. indultum aliquando fuit, ut hujusmodi Festa rit. dupl. reponi possent in dies impeditos Festo rit. semidupl., cum Commemoratione tamen Festi, quod locum cedit, ad utrasque Vesperas et Laudes ac 9. Lectione historica. Hoc privilegio donatae fuerunt Patriarchales Basilicae Vaticana et Liberiana, illudque postea, iisdem concurrentibus circumstantiis redundantiae Festorum dupl. et deficientiae Feriarum aut Officiorum ritus simplicis, ad alias Ecclesias, Dioeceses et Regulares Ordines